Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 827
Quelle:
Copyright:

plexiones respiciendo, et tum autor ad *Regimen*, ut vocat, *Medicinae* delabitur, varia praescribendo morborum remedia. Sed librarius imperfectum opus destituit. Germani hominis, et fortasse Academiae *Vindob.* Doctoris esse immixta quandoque vernacula nomina docent, ut, dum de *Piscibus* ei sermo est, *Pratfischel*, *grundel*, *choppen*, *schreczen*, *zindel*, *aschen* memorantur.

CCXLII. VII j. 8

847 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 208. 8. non una manu exaratus, rubricis distinctus, et olim *Fratrum sancte Crucis in Dusseldorp* sequentia complectitur: I. incipit *Augustini aurelij Episcopi liber de singularitate clericorum*, et quidem hoc tenore: *Miseram quidem vobis ante tempus epistolam filij carissimi que omnium morum instituta de lege commendans summatim omnia continet et* (contineret?) *quecunque vniuersis clericis generaliter ad dirigendam regulam competunt disciplinae* &c. Adlusio haec ad datam *Regulam* ansam praebere potuit, ut hic Libellus *Augustino* inscriberetur, cui tributae *Clericorum Regulae* Fragmenta prostant in *append. T. I. Opp.* edit. *Maur.* At vero Libelli nostri nullum in hac Editione vestigium, quamvis *Codex* etiam *Corbejensis* quidam *Augustini* nomen praeferat. Apud *Cypriani* Editores quaerendus est, et quidem inter Subpofititia, quamvis teste *Rigaltio* in *Addend.* p. 480. in *Codice Fossatensi Cypriano* adscriptus sit. Sunt enim alii, qui *Origenem* suboleant, et *Job. Pearsonus* in contrarium abiens ad *Bedae* plane tempora respicit, scriptioneque hac Coelibatum Occidentalis Ecclesiae urgeri putat. Sed pace docti Episcopi dictum sit, nullam in ea controversiam esse cum Conjugio, sed cum periculosa solum et suspecta Clericorum inter Mulieres commoratione; praeterea de incusationibus Ethnicorum, de *Gallis* sacerdotibus *Cybeles*, de Martyribus et Martyrio tanquam de re praesenti agitur, quod sane *Bedae* aevo non congruit. Removendus igitur ad anteriora tempora Libellus, cujus tamen Autorem non magis, ac alii, indicare possum. Sub *Augustini* nomine typis excusus a. 1467. opera *Olrici Zel de Hanau* in 4. mihi objacet. Locus tacetur, quem *Coloniam Agrip.* habeo. Editio rarissima est, et vel ideo cujusvis pretii, quod ejus ductu ad officinam *Zellii* revocari possint complura ejusdem formae Opuscula, ad quorum calcem Typographus hic et nomen suum et tempus, locumque impressionis subticuit.

II. *fol.* 59. *Liber* (intervallum erasum) *de beata sufficiencia.* Initium: *Suauitas et origo iusticie domine deus meus. exaudi deprecationem meam in dulcedine gratie tue* &c. Sed inscriptionem rudis Librarius mutuatus esse videtur e §. IV. primis verbis: *O sufficiens beati-*